

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 35483/03 CG

N et NN

Nullitatis matrimonii

(X –Y)

Querelae nullitatis adversus Decretum Rotale diei 26 m. Octobris a. 2000.

DECRETUM

In causa, de qua supra, Tribunal primi gradus NN die 12 Ianuarii 1999 sententiam affirmativam tulit ex capite erroris viri actoris in qualitatem mulieris conventae necnon ob eiusdem conventae incapacitatem assumendi obligationes matrimonii essentiales. Qua in sententia etiam statuebatur a patre filiis pensionem menstruam alimentariam septingentarum libellarum libanensium solvendam esse. Appellante muliere conventa ad Rotam Romanam, Tribunal appellationis nihilominus primum pensionem alimentariam pro filiis suspendit et tum ad quingentas libellas libanenses reduxit.

Sua ex parte Rev.mus Praeses et Ponens Collegii primi gradus, animadversa omissione in praefata sententia quoad pensionem alimentariam mulieri concedendam, decreto diei 28 Iunii 1999 rem sanare conatus est, reprimicollans pensionem alimentariam in favorem mulieris antea modo provisorio a tribunali statutam.

Re ad Rotam Romanam delata, cum Cl.mus Patronus viri actoris die 2 Maii 2000 e vivis ereptus esset, idem vir die 1 Septembris 2000 ad Rev.mum Ponentem scripsit Rev.mum Auditorem emeritum ipsum certiorem fecisse quod Cl.mus N mandatum acceptavisset, quae autem notitia postea erronea inventa est. Vir nihilominus in epistolis dierum 1 et 26 Septembris animadversiones suas obtulit quoad sententiam primi gradus et documenta quoad quaestionem pensionis alimentariae tam pro filiis quam pro muliere.

Turnus Rotalis tandem die 26 Octobris 2000 triplex decretum tulit, quo a) sententia primi gradus non confirmatur et causa ad examen ordinarium secundi gradus remittitur; b) vir solvere tenetur pro unoquoque filio summam menstruam septingentarum libellarum libanensium et insuper eorum expensis ad studia peragenda necnon securitati medicae providere debet; c) vir quoque usque ad definitivam solutionem casus mulieri solvere

debet summam menstruam 1.200.000 libellarum libanensium auctam cum summa menstrua 300.000 libellarum libanensium pro eius habitatione.

Quod adversus decretum, latum quando vir actor non habebat Patronum, deinde novus eius Patronus die 17 Decembris 2003 querelam nullitatis insanabilis ob ius defensionis denegatum coram H.S.T. exhibuit.

Quibus omnibus praehabitis:

**INFRASCRIPKTUS SUPREMI SIGNATURAEE APOSTOLICAE
TRIBUNALIS SECRETARIUS**

Re sedulo perpensa;

Perspecto art. 19, §3 Normarum H.S.T. Specialium, iuxta quem querela nullitatis coram H.S.T. “producere potest non solum contra sententiam definitivam, verum etiam adversus interlocutoriam, a Sacra Rota quomodocumque emissam, dummodo tamen gravamen inde sit oriturum irreparabile per definitivam sententiam, aut ipsa sententia vim habeat definitivae”,

et animadverso quod secundum pacificam H.S.T. iurisprudentiam id quoque valet de decretis a Rota Romana latis;

Perpensis quoque ad rem decreto definitivo diei 24 Aprilis 1999 (prot. n. 29584/98 CG) ac decretis diebus 14 Novembris 1997 (prot. n. 28097/97 CG) et 18 Februarii 2003 (prot. n. 31490/00 CG) in Congressu latis, quibus patet coram H.S.T. proponi non posse querelam nullitatis adversus decretum Rotae Romanae, ex quo damnum oriturum non est per definitivam sententiam irreparabile vel quod vim definitivae non habet;

Cum, attento etiam art. 77 Normarum Rotae Romanae, in casu non agatur de decreto Rotali adversus quod ad normam art. 19, §3 Normarum H.S.T. Specialium, querela nullitatis coram Hac Signatura Apostolica proponi possit;

Visis quoque cann. 1163 et 1368, §2 CCEO;

Omissis ceteris forte ad rem animadvertis;

Perpenso voto praeliminari Rev.mi Promotoris Iustitiae,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

decernit:

**Querelam nullitatis adversus Decretum Rotale diei 26 Octobris 2000
coram H.S.T. proponi non posse.**

Pro expensis processualibus H.S.T. retinetur summa 250,00. EURO.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Em.mum Praefectum intra terminum peremptorium quindecim dierum ab eodem recepto.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 22 mensis martii anni 2004

+ Velasius DE PAOLIS, C.S., *Secretarius*

Vincentius CARCEL ORTI, *Cancellariae Moderator*